S. pl. Responsum ad tuas, Vir Reverende, atque doctissime, exeunte anno superiore
datas, differre, quàm præcipitare hac de caussa malui, ut sequentes aliquot ex Græcis,
publico discipulorum usui destinatas schedas, simul tecum communicare possem. Fateor
tamen id, præter spem atque opinionem meam, ob alias Typographi nostri occupatio-
nes, serò nimis fieri. Quidquid sit, non mihi, sed aliis ut hanc culpam, seu moram attri-
buas, majorem in modum rogo. Consilium et tuum, et aliorum de addenda è regione
interpretatione Latina, et adjicienda in fine difficiliorum vocabulorum analysi Gramma-
tica, nequaquam repudio. Interim non desunt rationes, cur hanc potiùs, quàm aliam
viam insistendam putaverim. Nempe interpretationem propterea à contextu Græco se-
jungo, quia, experientiâ edoctus, scio, talia subsidia negligentiæ plerorumque fomenta esse.
Qui enim Præceptor cognoscet, utrum discipulus præscriptum sibi pensum è memoria de-
promat, (de interpretatione loquor) an verò ex chartis inter recitandum legat, si
Latina Græcis è regione respondeant? Analysis non tantùm eam ob caussam omissa, quia
in magnam satis liber excresceret molem; verùm etiam, quoniam hæc non incipientibus,
sed in studio Græco aliquò usque progressis consecrata cupio. Suo ergo ipsi Marte, pri-
vatâ industriâ, themata investigabunt, et Præceptori rationem reddent, qui viva postmo-
dum voce, quæ ab iis neglecta videntur, omnibus inculcabit. Atque hæc certissima, ad
cognitionem Linguarum perveniendi, mihi semper visa est ratio. Nec dubito, quin, ubi
primùm totum ad finem perductum videris libellum, manibus pedibusque in meam sis iturus
sententiam. Typographum, ut idquàm maturrimè fiat, urgere non desino. De successu felici
optimè spero. De Grammatica Hebræa quid scribam, vix habeo. In ea multa confusè
traduntur: at non omnia. Regulas, propter facilem perspicuitatem, atque brevitatem,
multorum aliis præferendas existimo. De solo Paradigmatum ordine atque dispositione
laboro. Hunc verò defectum sua in Epitome Cl. Buxtorfius compensat. Quid igitur
sentiam, facilè vides. Deus nobis clarissimum Reipubl. nostræ sydus, nobilissimum Dn.
Quæstorem Schneebergerum, hesterno mane eripuit. Quantum Ecclesiæ, Reipubl. scho-
læ vulnus! Utinam Elisæus succederet! Omnia quotidie in pejus ruunt. Deus Patriæ
misereatur. Atque in hoc omine desino, teque cum tuis omnibus optimè valere
jubeo. Saluta Venerandos Dn. Dn. Collegas, Fratres in Christo exoptatissimos, meque
tui, omniumque vestrorum studiosissimum tuo semper favore complectere.
Tiguri, Idibus Maji, 1658.

Reverentiæ tuæ
addictissimus
Joh. Casparus Suicerus.

Reverendo et doctissimo Viro, Dn. Sebastiano Heggero, V.D.M. et Gymnasii Sangal-lensis Rectori meritissimo, suo in Christo Fratri plurimum co-lendo, amando.

S. Gallum.

123.

S. pl. Ne igitur in posterum; Vir doctissime, Amicorum facilè princeps; constantem et sincerum in Te amorem meum ex literarum multitudine metiaris, majorem Te in modum rogo. Ea subinde me urgent negotia, quæ volentem Amicis satisfacere, impediunt. Nec est, cur unquam de perpetuo in Te, Vestrûmque omnes affectu meo vel minimùm dubites. Scio, quid Vobis omnibus debeam. Utinam voluntati frequentiùs responderet eventus! Ad postremas quoque Tuas nunc demum respondeo, quia alias mittere schedas decreveram. Reliquæ proximè, G. D. sequentur. In interpretatione Latina ad captum me discipulorum accomodare, quàm puriori Latinitati studere malui. Caussas alibi aperiam. Quòd meos hosce labores Tuis quoque discipulis utiles fore confidis, gaudeo. Id interim cavebis, ne eousque in Græcis eos provehas literis, ut Tigurinæ non amplius scholæ institutione egeant. Quemadmodum enim primi, quos Institutioni meæ commisistis Alumni vestri, mihi fuerant gratissimi; ita secundos quoque videre cuperem, operamque darem, ut in mea opera deinceps quoque acquiescere possetis. Ex obitu Filii summum Te accepisse dolorem, non miror. Multa de ejus εὐφυΐᾳ audiveram. At volenti sic Deo cedendum. Nostra omnia ejus reguntur manu. Pater est, paterno more suos castigat. Plura scriberem: sed Illustrissimi Dn. Pell, Residentis Anglicani, discessus, et ob eum negotia filum abrumpunt. Brevitati ergo ignosces, meque, ut semper studiosissimum, amare perges. Tiguri, 26. Junii, 1658.

Salutem officiosissimam Venerando Collegio vestro.

R. T.

addictissimus

Joh. Casparus Suicerus.

D. Doctissimo Dn. Scherero responsum debeo, illud propter angustiam temporis in sequentem hebdomadam differre cogor: Eum meis verbis plurimùm salutabis, et, ne silentium meum ægrè ferat, diligenter rogabis.